



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641680-p0001-5

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641680-p0002-1

DFG

32
21


Solo Favente Deo
DECADES TRES PRIORES
QVÆSTIONUM CONTRO-
versarum Civilium & Saxon-
carum.

Ex Jure Arresti.

Quas
PRÆSIDE
SIGISMUNDO FINCKELTHAUS I. U. D.

Exercitij publici gratiâ defendet
JOHANNES. HEIGIVS VViteberg.

Ad diem 18. Junij horis locoq; consuetis.



LIPSIAE,
Excudebat Laurentius Cober;

ANNO M. DC. XVIII.

Georgius Fabrius Dorotheus
DE CADENS TRIPSFRIBAS
G A E S T I O N I M G O N T R O
Academiae Civilium Saxoni-

Ex Libr. Ante

SIGISMUNDO ENGERTHIANO ILLI

Johannem Henricum Neumann.

Abtissimae Fecit post eam; consuevit


1600

1601

Ex Libr. Ante

1602





Ractaturi nobilem, difficultem, & quotidianam Arresti materiam, hac disputacione priori videbimus definitionem Nominis, Rei, Originem, Judicem, personas tam quae arresta petere, quam quae & quarum bona arrestari possint, itemq; non possint. Cetera in disputatione posteriori, propediem, volente Deo, subiiciemus.

Quæstio

I.

Arresti verbum unde nomen ducat?

Arresti verbum dupli modo ab interpretibus nostris usurpatur.

- (1) Pro sententia summorum tribunalium.
- (2). Pro interdicto sive impedimento, de quo hoc loco. Ultraq; significatio à Gallorum verbo Arrester, quod ipsi est gradum sistere, originem ducere, & ex latino ser-

A . 2 m one,

mone, verbo nimirum Restare, corruptâ linguâ transsum-
tum videtur. Inde est compositum gallicum Arrester. Ra-
tio nominis, quo sententiam notat est, quia sententiæ illæ sum-
morum tribunalium, quæ Gallis parlementa dicuntur, in-
stantiarum processibus quasi gradum sistunt, cùm ejusmo-
di victus sententiâ, ulterius provocando progredi nequeat.
Ratio vero nominis, quo arrestum significat Interdictum,
est, quia per arrestum gradus sistitur & tām Res quam per-
sona ita detinetur, ut loco vel statu suo moveri, aut ulterius
progredi non possit.

Ex hac igitur Gallica denominatione patet, Arrestum
in utraq; significatione, quatenus & Impedimentum & sen-
tentiam significat, per duplex rr contra Budæum scriben-
dum esse.

Sunt qui volunt arrestum, quatenus sententiam deno-
tat, à Græco ἄρρεν (quod à ἀριστος, corrumbo) hoc est, incor-
ruptum, dici. Alij ab ἄρρεν quod ab ἀρέσκω, placebo, hoc est
placitum derivant. Germanis dicitur Arrest/Verstrickung/
Item Kummer. Ratio hujus posterioris nominis est, quod
processus hic iniiciat curam & sollicitudinem debitori, ad
cogitandum de vijs relaxandi arrestum. Coler. process. ex-
cut. p. I. c. 2. n. 73.

II.

Arrestum quid sit?

Arresti descriptio dupliciter quoq; considerari potest.
I. Generaliter, quod usu quotidiano in Germania rece-
ptum ac notum est. Illud sic describi potest, quod sit:

Interdictum (a) ad instantiam Creditoris
(b) contra debitorem, ne se vel bona sua loco
moveat, priusquam illius querela satisfiat,

(c)

(c) à magistratu loci sub cuius ditione ista
vel ille comprehenditur, (d) licet ex ju-
sta causa (e) decretum

a) Ratio est, quia per arrestum personarum & rerum
amotio interdictum.

b) Ratio est, quia non potest judex quicquam in ijs, de
quibus nihil compertum habet, decernere, multò minus
non roganti justitiam administrare, arg. l. dies. 4. s. hoc
autem 8. ff. de damno infecto. l. ad peremptorium 68. ff. de judiciis.
cap. 1. extra. eod.

c) Quod sit vel solvendo, vel satisdando, vel cedendo.
arg. l. si fidejussor, 7. §. fin. ff. qui satisd. cogantur. t. t. C. qui bonis ce-
dere poss.

d) Videatur quæstio. 4.

e) Causas potissimum has damus (1) si reus sèpissimè
requisitus, ut se in judicio sistat, copiam sui subtrahit judicii,
& ita contumaciter ipsius jurisdictionem spernit. Ratio est,
quia si tūm Iudex potest missionē in possessionē decernere,
arg. l. Consentaneum 8 C quomodo & quando Iudex, multò magis
hoc remediu arrestationis veluti benignius competet: Cui
enim licet quod plus est, multo magis licebit quod minus est.
Vel (2) Si forte sit fugitus, arg. l. ait pretor. 10. §. si debitorē.
16. ff. quæ in fraud. Creditor. Vel (3) fugax suspectus arg. l. si fide-
jussor. 7. §. fina. ff. qui satisd. cogantur. Vel (4) Vagabundus,
quia qui ubiq. habitat nusquam habitat. Geil. de pignoratio.
obs. 1. n. 6. Vel (5) Dilapidator, & prodigus rerum suarum,
arg. l. nam is 6. ff. de dolo. Vel (6) fraudator gabellarum.
Coler. de process. exec. p. 1. C. 3. n. 74.

Tūm enim & ob aliam similem atq; urgenter causam
ex qua periculum quoddam in mora esse potest, licitum fit,
quod alias est illicitum, & sic arrestum, ex singulari causa
permittitur.

2) Arrestum considerari potest specialiter quod arre-

Qum Saxonicum nominabimus. Hoc ita breviter descri-
bemus, quod sit: *Interdictum, quo iudex implo-
ratus, Creditori de debito suo periclitanti,
in bonis debitoris etiam absentis, realem &
quasi legalem hypothecam legitimè confor-
matam (a) in vim pralotionis, in quantum
de jure concedit. (b)*

a) Forma in terris Saxonis ex *Const. 29. Elect. 29. p. 1.*
hæc est, ut (1) creditor arrestum tribus vicibus, interjecto
spacio 14. dierum, apud eundem judicem publicè renovet,
(2) tertiam vice simul libellum arrestatorium vulgo die Rüm-
merflage offerat. (3) specificè debitum designet, ita ut ra-
tionem illud probandi commonstret, & (4) Citationem
pro obtinendo processu contra debitorem roget, cum peti-
tione, ut arrestum jure validum pronuncietur. Atq hæc cir-
ca formam Arresti adeò sunt necessaria, ut si unum ex illis
omittatur, arrestum nullum sit, & invalidum pronuncie-
tur: Forma evim non servatā, actus est nullus. arg. l. s. unus.
12. C. de testament. d. const. 29. §. Wo diese form.

b) Quæ concessio, ne dolus interveniat, actis publi-
cis insinuari, & arrestanti schedula recognitionis, ut loqu-
untur, cum mentione anni, mensis, horæ concessi arresti
ab actuario porrigi debet, clandestinis arrestis omnibus pro-
hibitis, *Const. Elect. 29. p. 1. §. Wir verbieten auch.*

III.

Quonam jure arrestum sit introdu-
ctum?

Consuetudine & statutis potissimum incepit arrestū.
Ratio autem introductionis est partim necessitas, cuius po-
stulatu,

stulatu, nonnunquam à communium legum decretis rece-
dimus. L. item quamvis. 10. §. 1. in fi. ff. Communi dividan-
cap. non debet. 8. extra de consang. & affin. partiis æquitas, ex
utilitate promanans, cuius causa licitum est benignorem
in leges interpretationem adhibere. l. nam ut ait 13. L. beni-
gnius 18. ff. de LL.

Necessitas sanè, ad coercendos fugitivos & vagabun-
dos debitores respicit: Äquitas verò atq; utilitas ad com-
moditatem & facilitatem conveniendi & sistendi Debitores
eorumq; bona, ad hoc ut faciliori negocio & paucioribus
sumtibus solutionem ab ijsdem recipient Creditores, quos
multis excusationibus, tergiversationibus & difficultatibus
obærati, & maligni Debitores diu multumq; exagitarunt.

Apud nos subsecutæ & proditæ sunt expressæ Consti-
tutiones Electorales. p. 1. Const. 28. §. ferner sollen: ibi: vnd
dann nechst diesem sollen die Arrestanten. Const. 29. & 30. & p.
2. Const. 21. Torgauisch Aufschreiben de Anno 83. rubric. Von
Arrest wie derselbige zuverstatten.

IV.

Quis Iudex competens sit ad arrestum decernendum?

B
Præter eos, qui ratione domicilij l. ejus qui, 27 §. Celsus.
2. ff. ad municipal l. cives. 7. C. de incol, celebrati contractus.
l. heres absens. 19. §. 1. & 2. ff. de judic. destinatæ solutionis.
l. contr axisse. 21. ff. de obl. & action. delicti L. 1. & auth. qua in
provincia. C. ubi de crimin. etiam illi, quia alijs respectu de-
bitoris incöpetentes esse censentur, puta si fugitivū aut su-
spectum intra territorij sui limites deprehensum detineant,
cūm tales, secundum Dd. ubiq; forum sortiantur. Ratio
est, quia in competentia hīc propter necessitatem, quæ mi-
litat pro Creditore, attendenda non est.

Hinc

Hinc eleganter ait Iohān. Emēricus à Rosbāch in pra-
xi Civili tit. 28. de arrestation. n. 17. & 18. Quamvis incompe-
tentī judici impunē non pareatur, L. fin. ff. dejurisd. Mores
tamen nostri quemcunq; judicem in loco jurisdictionis
suæ in hac re competentem faciunt, nec debitor suspectus
incompetentiam proponere & remissionem ad forum su-
um postulare potest.

In terris Romani Imperij distinguendum est: Aut ar-
resta à privatis personis interponuntur, tūm ad Iudicis or-
dinarij cognitionem spectant: aut ab ordinibus imperij in-
vicem committuntur, & tūm immediatè ad Iurisdictionem
Cameræ Imperialis pertinent, remoto privilegio primarum
instantiarum. Ratio est, ut publica tranquillitas in Im-
perio, & mutua animorum conjunctio atq; concordia inter
status conservetur Reichsabschied. Maximil. 2. Spiræ. Anno
1570. §. Wann auch die Arresta fol. 614. Geil. de arrest. Imperij.
cap. 1. n. 13.

In his terris Saxonicas aliàs est Iudex inferior der die
Erbgerichte hat. Si tamen superiori inferiori Iurisdictionem
cumulative concessit, tūm in arbitrio Creditoris est, vel
hunc, vel illum adire. Coler. de proces. exec. p. 2. cap. 1. nro. 146.
147.

V.

An judex ministro publico negle-
cto, alteri privato, vel etiam ipsi Cre-
ditori mandatum arrestandi dare possit?

Regulariter, & ex communi observantia, itemq; tu-
tiori via, citatio fit per apparitores, seu nuncios juratos.
arg. l. apparitores. s. C. de Exact. tribut. L. 1. C. de Sportul, Et
hujus relatio per actuarium ad acta poni debet, ut sit pars
actorum & de legitimè facta executione appareat, Mys-
cent. 1. obs. 77. Geil. 1. obs. 57. n. 67.

Fallere

Fallere tamē potest hæc regula in materia nostra arresti, ob favorem actoris, quando scilicet periculum sit in mora,

Ratio exceptionis (1) quia ut aliàs in multis articulis juris, propter necessitatem & periculum à communibus regulis juris receditur, ita & hīc.

(2) quia non tām factum denunciantis, quām mandantis considerandum venit, siquidem sola auctoritas judicis causam justam facit arg. l. justè n. ff. de acquir. posse.

V I.

Procurator an pro impetratiōne arresti, speciale mandatum ostendere cogatur, an verò ob generale ejus mandatum admittendus sit? Generale sufficere videtur.

Ratio 1. quia qui vult consequens, videtur etiam velle necessarium antecedens, arg. L. 2. ff. de Iurisd. l. ad rem mobilem, 56. l. ad legatum. 62. ff. de procurat. ubi conceditur actio ad exhibendum quia est preparatoria vindicationis. Sed Creditor vult in generali mandato consequens, ut scilicet extorqueat procurator à debitore debiti liquidi solutionem. E. videatur etiam velle antecedens, scilicet ut & arrestum, casu eveniente impetrat, per quod ad solutionem, judicium preparatur.

(2.) quia Jussus generalis videtur omnia continere, quæ certâ lege vel ratione non inveniuntur prohibita, siquidem tantum operatur mandatum generale quoad genus, quantum speciale quoad speciem. l. i. §. 1. ff. quod jussu. Diss. Berlich. p. 1. concl. pract. 50. n. 8. Harppr. ad §. procurator. n. 242. seqq. J. de iis per quos agere poss. Huc referri potest lator seu exhibitor literarum obligatoriarum, quibus cautum est, ut earum possessor sive exhibitor solutionem consequatur, per supra dictam rat. 1.

B

V II. An



VII.

An liberi in bonis parentum debitorum arrestum petere possint? Neg.

Ratio, quia nullam actionem liberi, adversus parentes instituere possunt, quæ ipsis ignominiam afferat. arg. *l. non debet. 11. §. 1. ff. de dolo malo.* Sed arrestum infert aliquam ignominiam. E.

VIII.

An Socius pro socio arrestum querere possit? Aff.

Ratio, quia possunt in commune agere, communilitate flagitante. *L. justissimè. 44. §. proponitur. 1. ff. de cedilit. editio. E. & arrestare.*

IX.

An is qui sibi à Creditore primævo jus Crediti cessum habet? Aff.

Ratio, quia translati actionibus, primi Creditoris personam repræsentat. *L. per diversas. 22. l. Ab Anastasio. 23. C. mandati. l. si nominis. 2. C. de donatio.*

X.

An conjuncta persona? Aff.

Ratio, quia pro coniuncto quis sine mandato agere potest. *l. sed ex hæ persona. 35. in princ. ff. de procurator.* E. & arrestare quis poterit, cum hic major subsit ratio propter moræ periculum. Si modò caveat cum, pro quo agit, ratum habiturum. *d. l. 35. §. defendere. 3.*

X I.

An Caupones pro cōsumtis in diversorio bona hospitum

hospitum apud se divertentium puta cistas, e-
quos, currum, vestes etc. Aff.

Ratio, quia publicè interest, ut Caupones sint, qui ho-
spitia habeant pro peregrinantibus, in quæ de noctu aut in-
terdiu divertant arg. l. i. §. 1. L. nauta. s. ff. Nautæ, caupo-
nes, stabularij. Quocirca eadem suadet utilitas, ut ipsis su-
per debito liquido, quod in usum peregrinantium expende-
runt, absque mora satisfiat, & sumtus & expensas in prose-
quendo debitore peregrino, alibi commorante faciendas
evitent, atque ita aliàs tædio non receptæ solutionis affecti,
alios in posterum advenientes non facile suscipiant, aut ab
instituto planè desistant. Virgil. Pingitz. q. Saxon. 58. Ubi
ita Jenæ pronunciatum refert. n. 12. vers. Sed his aliisque
rationibus.

XII.

Legati Principium, an ob æs alienum ante
legationem contractum in loco legationis arre-
stari possint? Neg.

Ratio (1) quia revocandi domum suam jus illis datur.
L. 2. §. legatis. 3. L. si quis in legatione. 8. ff. de judic.

(2) quia non debent ab officio suscepito legationis avo-
cari. L. non aliàs. 24. §. 2. in fi. aut in legatione impediri. l. de eo.
26. ff. de judic.

Excipimus (1) si legati in loco legationis contraxerunt,
non iniquè ibi coguntur judicium accipere, adeoque in e-
ventum arrestari possunt. Ratio est, quia aliter potestas
dabitur legatis sub hac specie res alienas domum auferendi.
l. si legationis. 25. ff. de judic.

(2) Si legati ipsi agere & alios convenire velint, tūm
compelluntur se adversus omnes defendere. l. 2. §. item si ex-
tra. s. ff. de judic. & licetè reconveniri vi reconventionis pos-
sunt. l. cùm Papinianus 14. C. de sent. & interlocut. Gisebert. de
reconv. c. 2. n. 9. 10.

B 2 Cum

Cum L. siquā in legatione. 8. ff. de Iudic. supra in rat. i. ci-
tata acriter pugnare creditur L. eum qui Ephesi. 5. §. 1. ff. de
Const. pecun. Qua de re, si placet, excurrendo obiter & inci-
denter disquiremus.

XIII.

An Comites, Nobiles, Doctores, & alia
egregiæ personæ? Negant plerique. Sed
ut omnes, ubique in praxi de facto negati-
vam opinionem non servari conqueruntur. Ita
ex hoc loco, disputandi causa, Creditorem de-
fendemus.

Ratio, quia generaliter usu hodierno arrestari posse ma-
nifestum est, ex justa necessitatis vel utilitatis causa, puta
quando dilapidationis, vel fugæ &c. periculum adest. Huic
regulæ inhæremus. l. i. ff. de R. I. Diss. Berlich. p. i. concl.
pract. si. n. 15. seqq.

XIV.

An Civis pro debito civitatis, quæ se & suos,
suaque & suorum bona solenniter obligavit?
Neg.

Ratio (1.) quia omnis contractus non nisi consentien-
tes obligat. l. quæcunque ii. ff. de oblig. & action. Sed cives sin-
guli in civitatis debitum non consenserunt. E. & debitum
illud civitatis nomine contractum ex bonis communibus,
non autem marsupiis singulorum solvi debet. (2.) quam-
vis magistratus sit dominus subditorum, non tamen est do-
minus rerum particularium subditorum. Alia enim sunt
bona universitatis, alia singulorum civium, in quibus ma-
gistratus nihil Juris habet, quod enim meum est, commu-
nita-

nitatis non est, arg. §. Universitatis 6. §. singulorum. 11. I. de rer.
div. L. Ex hoc jure. 5. ibi : dominia distincta. ff. de Iust. & jure. L. ven-
ditor. 13. §. 1. ibi : nec privato nec publico nomine. ff. commun. prædio-
rum. (3.) quia sicut quod universitati debetur, non sta-
tim singulis debetur, ita vicissim quod ipsa universitas de-
bet, singuli non debent. l. Sicut s. §. si quid. 1. ff. quod cuiusq;
universitat. nom. nisi singuli cives sigillatim consenserunt, no-
minaque sua contraetui subscripserunt, per. l. fin. vers. in provin-
ciis. ib: sigillatim unumquemq; eorum C. de venden: rebus civitat. Const.
Elector. 30. p. 1. ib. welche entweder nicht selbst contrahirt, oder ih-
re Bewilligung bestendig vnd freywillig nicht geben. (4.) quia
grave est non solùm legibus, verum etiam æquitati naturali
contrarium, pro alienis debitibus alias personas, vel alio-
rum bona molestari, per tex. expressos in L. Vn. C. ut nullus ex
Vicaneis. L. hac definitione. 12. ibi : nullum possessorem neque prædium.
C. de omni agro deserto. L. Nullum. 4. ibi : pro alienis debitibus publicis
vel privatis C. de Executoribus, & exactoribus. Nov. 52. cap. 1. ibi: nul-
lam omnino pignorationem neque in civilibus &c. ubi subjicit Impera-
tor, quod non habeat rationem, ut alius sit debitor, alius autem pro
eo exigatur. (5.) Per Const. Elector. 3. p. 1. ibi: wann sie gleich der
obligirten Person vnterthan / Geil. de arrest. Imperij. cap. 9.
ubi ait quod obligatio talis non respiciat utilitatem publi-
cam Hart. Pistor. l. 1. q. 37. Diss. Peck. de Jure sisten. c. 4.
num. 13.

XV.

An Ministri mercatorum, quos Institores,
vulgò Factores vocant. Neg.

Ratio (1.) Quia is arresto impediri potest, qui suo no-
mine contraxit. arg. L. quaecunque 11. ff. de obl. & action. Sed In-
stitutor nudum ministerium exercet, alieno nō suo nomine, ad
alterius quæstum & commodum contemplatione scilicet

præponentis & domini. L. final. ff. de Institor. actio. ubi Institor non dicitur ex contractu nomine domini inito obligatus, quia quod fecit, hoc non præsumitur animo sese obligandi fecisse, sed tantum ad probandum institoris officium, quod scilicet mensa numularia sibi à domino esset commissa, ad fidem mensæ ostendendam.

(2.) quia contrahentes plerumque ignari sunt conditionis ejus, qui præpositus est, sed fidem magis domini quam institoris sequi videntur. § 1. l. quod cum eo qui in alie. potest. l. si institorem. 29. ff. de rebus cred.

(3) Per Const. Elector. 30. p. 1. ibi: daß allein die Person/ so contrahirt &c. & versic. aber alle andere / ibi : wann sie gleich der obligirten Person Diener/ sollen mit keinem Arrest belegt werden.

Dissentire videntur Harppr. ad §. eadem ratione n. 15. l. quod cum eo qui in alie. pot. Hunnius ad Treutl. disp. 24. θ. 7. q. 10. Duar. ad tit. ff. de Inst. act. c. 4.

XVI.

An Debitor debitoris nostri? Aff. Idemque in bonis ejus, sed usque ad concurrentem saltem debiti quantitatem juris esse putamus.

Ratio est, quia licet aliis, pro alio non possit conveniri, si tamen debitor principalis condemnatus fuerit per sententiam, & deinde sit excusus, nec inveniatur tantum in bonis ejus, unde fieri possit solutio, tūm in subsidium, potest perveniri ad debitorem debitoris, L. si in causa 2. C. quando fiscus vel privatus debitoris. factā ei denunciatione ne solvat, arg. l. heres 21. in fin. ff. ad Sc. Trebellian.

Practi-

Practicam arrestandi hoc casu tradunt Colerus in pro-
cessu execut. par. 2. cap. 3. num. 495. & par. 3. cap. 8. n. 40
& Anton. Hering de fidejus. cap. 19. n. 60.

XVII.

An & fideiussores? Aff.

Ratio 1. quia principalis debitoris seu rei locum obti-
nent fideiussores. l. potest. 4. §. 1. ff. de fidejus. l. adversus. 29.
ibi: nam potestate à reo petit. ff. de recept. arbitr. l. si servum. 91. §.
nunc videamus. 4. ff. de V. obl. E. ut ipsi debitores, sic & fidei-
jussores, si ante diem suspecti vel fugitivi existant, arrestari
possunt.

(2) quia creditor fideiussoris fidem potissimum se-
quitur. pr. l. de fidejus. E. eadem ratione, qua debitor
principalis poterit arrestari.

XVIII.

An heres debitoris? Aff.

Ratio, quia una persona censetur cum defuncto. l. here-
dem. 59. de R. l. Et eidem cum suo commodo & incommo-
do succedit. l. vitia. 11. C. de acquir. pos. Et ad quod potest
compelli defunctus, compellitur etiam heres l. postulante. 44.
vers. ceterum existimo. ff. ad SC. Trebell. E. & eidem arrestan-
di juri subjacebit.

XIX.

An Creditor conditionalis? Aff.

Ratio, quia quamvis Creditori ante conditionem exi-
stentem nondum competit actio. l. conditionales 54. l. cedere.
213. de V. s. cum exceptione plus tempore petitionis remove-
ri possit arg. L. Fulcinius. 7. §. si in diem 14. ibi: quid enim interest
debitor quis non sit, an nondum conveniri possit, ff. quibus ex causis in
possess.

posseſſ. eatur. Eadem tamen æquitas suadet, ut & hic Creditor, qui quoad effectum ut sibi caveatur, verus est Creditor. l. Creditores 10. de V. sign. Sit in demnis, adeoque ex justa causa, puta si ei immineat aliquod periculum ex mora, subsit timor fugæ, vel dilapidationis, arrestum in majorem securitatem petere possit. arg. l. omne æs. 27. ibi: & si sub conditione promiserat, si tamen interim societas dirimatur cautiones interponendæ sunt, ff. pro socio. l. cùm socij. 16. ff. commun. dividun. L. in omnibus. 41. ibi: cum nondum dies venit. Et ibi: ex justa causa. ff. de Iudiciis. l. quæsum. 14. ibi: si nondum dies venit. Et ibi: quia interest me. ff. de pignoribus. Condemnationis tamen ex actio tum competit cùm debiti conditio extiterit. L. In l. Aquilia. 40. cir. fin. ff. ad L. Aquil. Petr. Heigius. p. 2. quæst. 7. num. 93 Mollerus lib. 2. semest. cap. 23. n. 2. ubi ita in Scabinatu Lipsiensi quondam responsum esse refert. Grævæus lib. 2. concl. pract. 44. n. 4.

XX.

An debitor transiens seu non perpetuò in aliquo loco permanens sed saltem per unam noctem subsistens? itemque bona debitoris transitoria? Aff.

Ratio (1.) quia idem periculum ex mora subest.
(2.) propter generalitatem Constit. Elect. 29. & 30. part. 1.

(3.) quia alijs debitor facile datâ operâ faceret, ut tām ipse quam bona ejus in loco contractus celebrati vel solutionis destinatae, non perpetuò permanerent arg. l. 1. ff. de eo quod certo loco. Sic raro arrestum locum inveniret. Diss. Coler. pag. 1. cap. 2. n. 110. vers. verū ea tunc demum. & par. 2. cap. 3. n. 135. ibi: istud de facto fieri non de jure.

XXI, An

XXI.

An Clerici? Aff. (a) ita tamen ut arre-
statio fiat à Iudice Ecclesiastico. (b.)

a) Ratio, quia ea, quæ processum concernunt, non
minus in Clericis, quam in laicis obtinent. cap. cùm venissent,
3. ibi : qui cùm secundum jus tantum vellent procedere. extra de eo qui
mittitur in posseß.

b) Ratio, quia laicus Clericum non judicat. auth. sta-
tuimus. C, de Epis. & Cleric. cap. 1. & 2. extra de foro competen.

XXII.

An mulieres? Aff.

Ratio 1. quia quamvis mulier in causa civili in carce-
rem propter periculum pudicitiae conjici non possit. Nov.
134. cap. Necessarium. 9. ibi : circa finem: nullam enim mulierem &
ibi : circa castitatem injuriatæ. Non tamen propterea, & u-
suin arrestationis prohibitum esse putamus, cùm in arresto
non ita facilè in periculum pudicitiae incurrere videa-
tur.

(2) arg. Const. Elect. 21. par. 2. ibi: So ein Weib-
person sich wissentlich zu Persönlichen Arrest oder Ge-
horsamb verschrieben: So were sie es auch zu halten
schuldig.

XXIII.

An debitores rei minimæ seu modicæ?
Neg.

C

Ratio

Ratio est, quia quamvis ex rigore juris Civilis, actio etiam ob rem minimam detur, cum quaelibet agendicausa, non ex quantitate sed effectu estimari debeat. Tamen ex æquitate & prætoria cognitione ac dispensatione actio famam & existimationem alicujus lœdens vel ignominiam aliquam inferens, ob rem minimam non facile concedenda. arg. 1. si quis affirmavit. 9. §. fin. ff. de dolo malo. Sed Arrestum infert aliquam ignominiam. E. Minimum autem seu modicum debitum est, usque ad duos aureos. 1. Id est 10. ff. de dolo malo. Alij hanc summam arbitrio Judicis committunt.

XXIV.

An Studiosi & libri eorum? Aff.

Ratio (1) quia authent. Habita. C. ne filius pro patre. saltem prohibet, ne Scholaris ob debitum ALTERIUS detineatur. E. ob debitum proprium detinendi & arrestari potest. Si enim nec propter suum debitum detinendi posset, procul dubio, Imperat. Fridericus in genere prohibuisset, ne propter ULLUM debitum detineretur. (2) quia nuspiciam legitur jure Civili, libros studiosorum esse immunes ab executione. E. nec sunt ab arresto quod executionis formam continet. Virgil. Pingitzer. quæst. Saxon. 58. n. 23. ubi de quotidiana etiam experientia testatur. post. Coler. p. 1. c. 2. n. 127. Diss. post alios, quos citat Berlich. par. I. concl. pract. 50. n. 28. Et concl. 51. n. 20.

XXV.

An Salaria Professorum, Advocatorum, Medicorum? Neg. regulariter, nisi, in subsidium, puta si alia bona desint.

Arg.

Arg. tex. in L. stipendia. 4. ibi: cùm posse alius rationibus exequi. C. de Executio. rei judica. Quomodo & intelligenda est. L. commodis. 4. ff. de re judica.

XVI.

An alimenta? Neg.

Ratio, quia in bonis alimentis alicujus destinatis executio denegatur. L. si pupillus 33. in princ. l. pupillus. fina. in princ. ff. de rebus autorit. Iudic. possid. Et ita usus observat ac pronunciari solet. Moller. ad Const. Elect. 29. p. 1. n. 13.

XVII.

An instrumenta agriculturæ tam animata, quam inanimata, uti sunt, equi & boves aratrij, aratra, ligones, plaustra & similia? Neg.
(a) nisi alia bona ad satisfaciendum defiant.
(b).

a) Ratio est, quia instrumenta hæc in favorem agriculturæ pignori capi vel auferri non possunt arg. L. executores. 7. l. pignorum. 8. & auth. Agricultores. C. quæ res pignori obligari, E. nec regulariter arrestari.

b) Ratio (1) quia alijs nemo facile inveniretur, qui cum rusticis contrahere aut in creditum ire vellent. (2) quia sic cum Creditoris detimento fierent locupletiores. Cont. l. nam hoc natura 14. ff. de conduct. indeb. (3) quia favores sic attendendi ne tertio fiat præjudicium. C. nuper 6. vers. quod autem de prima. extra de donat. int. vir. & uxor. Dissent. Trentac. var. Ref. tit. de Execut. rei judic. tit. 2. resol. 2. num. 3. vers. Ego non discederem. Coler. proces. exec. par. 2.c.3. num. 189, 190. Menoch. lib. 2. arbit. Iud. quæst. cas. 378. num. 10. seq. cent. 4.

XXVIII.

An cadaver debitoris defuncti? Neg.

Ratio (1) quia injustum, nostris temporibus alienum, injuriosum & penitus prohibitum dicitur ob debitum defuncti, sepulturam ejus impediri. l. cùm sit. 6. fin. C. de Sepulch. viola. Pœna novissima hujus creditoris est in Nov. 60. cap. 1.

(2) quia corpora aut ossa mortuorum detineri aut vexari non debent. l. ne corpora 38. ff. de religios. & sumt. funer. quod sanè fieret, arresto permisso.

(3) quia publica suadet utilitas, ne insepulta jaceant cadavera, & foetor noxius excitetur ac pestiferi humores progenerentur. arg. l. sunt personæ 43. ff. de relig. & sumt. fun.

(4) quia alienum est à ratione, quempiam detineri, qui nihil debet. Atqui mortuus talis, morte siquidem solvit obligatio. argum. §. solvit. 5. I. de societa. L. 3. 6. C. si reus vel accusator mortuus. Unde dicitur: Mors omnia solvit.

XXIX.

An in feudis arrestum obtineat? Neg.

(a) In fructibus tamen ex feudis perceptis arrestum benè locum habet. (b) Etiamsi bona allodialia antea non fuerint excussa. (c.)

a) Ratio, quia propter debita vasallorum in feudis nec hypotheca, nec alienatio, nec executio absque domini Consensu datur. 2. f. 55. in princ. E. nec arrestum, ne obtrudatur domino invito vel ignorantie alius fortè non acceptabilis vasallus. d. 2 f. 55. §. 1: Köppen. lib. 1. decis. 39. n. 5.

b) Ratio (1) quia hīc non de præjudicio domini sed vasalli

vasalli saltem agitur, qui & alias fructus alienare & pro luctu de iis disponere potest. (2) Propter tex. 2. f. 45. ibi : sed in fructibus, si quos reliquit. (3) Per Const. Elect. 25. par. 2. §. So viel denn die Abnützung des Lehnguts belanget. Petr. Ftid. Minida. de continent. causar. lib. 3. cap. 3, n. 14. Hart. Pistor. I. 1. quæst. 15. Diss. Vult. de feud. lib. 1. cap. 10. n. 57. & 58. Hunnius tract. feud. cap. 12. n. 8. pag. 339.

c) Ratio est, quia fructus ex feudis percepti sunt allodiales. In rebus autem allodialibus non minus in unam quam aliam fieri potest executio. Diss. Köpp. d. decis. 39 num. 11. ibi : verum si debitor non habet allodialia, hoc causa in subsidium. &c.

XXX.

An hereditas jacens ante diem ab obitu debitoris tricesimum? Aff.

Ratio (1) quia arrestum hoc Saxonum consuetudinarium, neque mortui sepulturam, neque confectionem inventarij impedit, neque heredes in possessione rerum hereditiarum turbat.

(2) quia Const: Elect. 28. p. 1. Creditoribus ab illa ipsa hora, qua arrestum impetrarunt, illudque legitimè persecuti sunt, jus reale tribuit, nec distinguit, ante vel post 30. diem petitum sit, quod sanè si necessariò post illum impetrandum foret, silentio haud dubiè non fuisset involutum. Et ita solet pronunciari. Præjudicia refert Dominicus Arumæ.

lib. 2. decis. 4. n. 47. Andr. Scheffer. quæstio. pract. 3.
par. 1. Dn. D. Monachus in suo Proces. par. 20.
cap. 5. n. 14. ubi & in hac Civitate
Lipifica ita observari
refert.

F I N I S.



idulonq. 8 9120112 außserlich abh. 8 10p. mungs mästet ihl. 127
mbo; id. 14.1.5 12012019 (s) 120120120101 lib zit s b. 127
127 12.1.5 12012019 (s) 120120120101 lib zit s b. 127
127 12.1.5 12012019 (s) 120120120101 lib zit s b. 127
127 12.1.5 12012019 (s) 120120120101 lib zit s b. 127
127 12.1.5 12012019 (s) 120120120101 lib zit s b. 127

• 18. minibus. ni mi
• 19. minibus. ni mi

obtido de outras publicações. A

AA. *Sigonimopsis sirotii*

magistris imbecib[us] d[icitur] p[ro]cedere in b[ea]titudinem
et d[icitur] m[od]estia, tunc m[od]estia, deinde con[se]cutione
m[od]estie, quae sicut p[re]dicta p[ro]cessione p[ro]cedit, et p[ro]cessione
modestie, quae sicut p[re]dicta p[ro]cessione p[ro]cedit, et p[ro]cessione

—od alqis illi d'sauditoris sp. C. 19. 25. Rely: Caw: Elly: (5) —
i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc' i'nculc'

Si si vivo odi iudicium tuum. Et hoc quod
invenimus est omnia in te.

319181

2 J. V. Ven. 1913

b) Ranc's "equation of state".

Leipzig, Diss., 1593/1619

ULB Halle
004 954 793

3



VDTZ

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

FarbKarte #13



Deo
PRIORES
CONTRO-
& Saxonii-

Arrefti.

E
LTHAUS I. U. D.

ia defendet

GIVS Witeberg.

coq; consuetis.

Æ,
ntius Cober,

XVIII.

32
21

